

XXVI. Esse autem videntem in actu secundo est denominatio formalis ipsi viventi intrinseca, quia vivere non potest per extrinsecam denominationem : ergo debet assignari aliqua forma, qua intrinsece constituatur in tali esse, non minus quam albedine constituitur album, vel calore calidum; ergo talis forma, quæcumque illa sit, suppleri non potest, nisi per informationem intrinsecam constitutivam illius rei, quia constitutum in ratione intelligentis, aliqua intrinseca forma debet constitui; non est autem alia, quam intellectio, seu intelligere, quia ut præsupposuimus, intelligere est ipsa operatio, et actus secundus intelligendi.

XXVII. Quod vero utraque conditio repugnet divinæ naturæ manifestum est. De prima quidem, quia divina substantia non potest esse ab alio, et multo minus procedere a creatura, sic enim esse effectus : de secunda vero, quia repugnat esse causam imperfectam, et dependentem, sicut esse causam formalem informantem. Et vocamus formam informantem id quo aliquid constituitur tale, sive constituatur ad agendum, sive ad essendum. Repugnat autem divinæ substantiæ esse id quo aliquid constituimur in aliquo esse, quia id quo aliquid constituitur comparatur ad suum constitutum tamquam quo, et ad totum quod constituitur, et componitur ex forma tamquam quod. Omne autem totum est majus sua parte, et consequenter omne constitutum, ut quod, est majus suo constituyente ut quo. Repugnat autem aliquid esse majus Deo; ergo repugnat id quod divinum est se habere ut formam informatam tamquam id quo aliquid constituitur.

XXVIII. Et ideo actus purus opponitur actui informanti, quia ex hoc ipso quod informat aliquid contra-

hit potentialitatis. Cæterum si forma non se habeat ut quo aliquid constituitur, sed ut quod conficitur, et completur, non constituendo aliquem terminum, sed potius trahendo ad suum esse, et perfectionem tamquam ad quoddam totum, id quod actuat, sicut subsistentia, et existentia vel quia solum objective perficit, et complet, sicut species intelligibilis; talis informatio, sive actuatio non repugnat Deo, quia non est inferioris, et partis constituentis aliquem terminum ad quem ordinetur ut ad totum, sed ut perficientis per modum totius, et contrahentis aliud ad suam perfectionem. De quo amplius dicemus in solutione argumentorum præsertim ad tertiam implicationem.

XXIX. Igitur reducendo ad formam totam rationem implicationis, formatur primo implicatio in generali, deinde particulariter applicatur intellectioni divinæ secundum principia posita a S. Thoma. Implicatio ergo in generali est, quia repugnat divinæ substantiæ, seu rei divinæ procedere ab alio, vel informare aliquid tamquam forma intrinsece constitutiva informando.

XXX. Repugnat quidem procedere ab aliquo, quia repugnat esse effectum : repugnat informare, quia repugnat esse causam imperfectam ordinatam ad aliquem terminum constituendum : si enim talis causa non pure perficit, sed etiam perficitur, consequenter habet dependentiam.

XXXI. In particulari autem applicatur hæc implicatio ad divinam intellectionem, quia divinum intelligere si esset actus, quo intelligeret anima Christi, compararetur ad illam tamquam ad naturam distinctam a se, et naturam alienam; ergo haberet se ut actus, seu operatio distincta ab operante : omnis autem actus, seu operatio, quæ distingui-

tur ab operante non constituit ipsum, ut operans nisi informando illud, et procedendo ab illo. Hoc repugnat divinæ operationi, quæ s t ipsa Dei substantia, et non aliquid extra; ergo. Minor probatur ex notabili posito, quia actus, seu operatio non reddit aliquid operans, nisi sit actus ejus, et ad ipsum pertineat; operatio autem distincta ab operante non pertinet ad ipsum per identitatem, quia est distincta; ergo per habitudinem vel causæ, vel effectus comparatur ad ipsam, ut ad efficientem tali operatione, et sic debet ab illa procedere. Comparatur etiam ut constituens in ratione operantis immanenter, et vitaliter, et consequenter ut forma informans in ratione viventis, et intelligentis in actu secundo.

XXXII. Neque operatio se potest habere ut forma terminans, aut objectiva; non objectiva, quia non est id quod intelligitur, vel quod supplet vicem objecti, sed quo intellectus operatur circa objectum : non ut terminans, quia non se habet ut totum ad cujus esse trahatur ipsum operans; potius enim operatio trahitur ad esse operantis, et constituit illum in ratione operantis : ergo undique repugnat Deo communicari in ratione intellectionis, vel cujuscumque alterius formæ informantis.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XXXIII. Ad ea quæ objiciuntur in principio. Ad primum contra rationem S. Thomæ respondetur, quod non probat præcise sanctus doctor, quod intelligere divinum non potest communicari animæ Christi, quia substantia est, sed quia est actus, seu operatio, quæ est substantia, et comparatur ad animam Christi tamquam ad alienam, et distinctam na-

turam a tali operatione. Ex his enim recte infertur repugnantia hujus communicationis, quæ requiritur ut constituatur anima Christi intelligens per tale intelligere tamquam per operationem a se distinctam. Operatio enim distincta ab operans ut sit actus ejus, et constituat illud ut operans, necessario requirit quod procedat ab illo, vel informet illud, et hoc repugnat operationi, quæ est substantia divina.

XXXIV. Fatemur ergo quod non est de ratione intellectionis secundum se, quod sit substantia, vel accidens; ratione tamen intellectionis talis, nempe quæ naturam a se distinctam constituit intelligentem, necessarium est quod vel procedendo constituat ipsam intelligentem, quod non convenit substantiæ.

XXXV. Similiter Deo non repugnat communicari naturæ creatæ ex eo quod substantia est, sed repugnat communicari tali communicatione, scilicet per modum formæ informantis, vel procedentis, quia imperfectio est; non autem alio modo communicationis, scilicet per modum formæ terminativæ, vel objectivæ; sed hæc non sufficit ad communicationem intellectionis, ut constituat intelligentem, et operantem formaliter.

XXXVII. Ad secundum vero, quod objicitur contra alteram rationem D. Thomæ respondetur, quod etiam esse alienam naturam præcise non probat implicationem communicationis divinæ ut sic, sed talis communicationis, id est, quæ est per modum operationis; unde supponit aliam consequentiam, scilicet, quod si anima Christi est aliena natura respectu intelligere divini, talis intellectio comparatur ad illam naturam, non ut identificata, sed ut distincta ab illa.

XXXVII. Intellectio autem in quantum est actus secundus opera-

tionis non potest separari ab eo aquo distinguitur, ut sit actus, et operatio ejus, nisi procedendo a tali operante, vel informando illud, utrumque autem repugnat Deo: at vero subsistentia, et existentia, licet communicetur alienæ naturæ, non tamen informando, vel procedendo, sed pure terminando. Et ita dicit optime Cajetanus in præsentis articulo primo: « Quod quia personalitas divina potest fieri personalitas humanæ naturæ, sine eo quod sit actus ejus; intelligere autem non potest fieri actus intelligendi animæ humanæ nisi fiat actus ejus. Ideo non repugnat communicari personalitas, et repugnat communicari intellectio. » Dicitur autem fieri actus ejus, quia fit aliquid illius, ut procedens ab eo, vel est informans illud; unde sive intelligere, ut distinguitur a dicere, dicat operationem secundum rationem originis, et processionis, sive dicat informationem (de quo statim dicemus) tamen nullo modo potest convenire intellectioni divinæ in ordine ad alienam, et distinctam naturam, ut constituat illam operantem, nisi tale intelligere fiat, et sit actus operantis, vel informando illud, vel procedendo ab eo, ut dictum est.

XXXVIII. Ad secundam difficultatem, respondetur ex allatis exemplis, illisque suppositis, et admissis, tres ultimas implicationes veras esse, et a nobis defendendas, quia eliciuntur, et continentur in ratione assignata a D. Thoma, et sic relicta prima implicatione, quæ sola non sufficit, constat intellectionem neque esse causam efficientem ad operationem, nec pure efficientem esse, sed formalem ordinem, et habitudinem dicere ad principium intrinsecum, quia vitalis operatio est; ac denique in præsentis non est difficultas, an possit Deus per seipsum supplere vicem causæ efficientis se solo efficiendo sine operatione causæ

secundæ effectum ejus; sed an possit ipsa causa secunda efficere per operationem Dei sibi formaliter conjunctam: hac ergo implicatione relicta

XXXIX. Ad impugnationem secundæ implicationis respondebit aliquis D. Thomam loqui de intelligere respectu divini intellectus, quod quidem secundum se non dicit operationem procedentem, sed habitudinem ad rem intellectam, ut patet in ipso intelligere essentiali: non autem loquitur de intelligere creato, quia respectu hujus debet esse actus distinctus ab ipso, et consequenter operatio non solum informans, sed et procedens.

XL. Cæterum quidquid sit de veritate hujus doctrinæ, applicatio tamen ejus non attingit mentem D. Thomæ: nam D. Thomas ibi loquitur non solum de intelligere divino, sed etiam creato; inquit enim: « Quod intelligere importat solam habitudinem ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur; sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster sit in actu performam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus et intellectum: » ubi clare sanctus doctor loquitur de intellectu nostro et in ipso nostro intellectu dicit, quod importat informationem quamdam, et non rationem originis; in Deo autem neque etiam informationem importat, sed identitatem. Igitur clarus sensus D. Thomæ ex ipsius verbis deducitur. Non enim explicat habitudinem ipsius intellectionis intellectio ut operatio est ab intelligente, sed habitudinem quam importat, et inducit inter intelligentem, et rem intellectam. Operatio enim, quæ est intellectio duo dicit, alterum secundum communem rationem operationis, et sic in quantum actus vitalis est so-

lum respicit principium vitæ a quo dimanat: alterum in quantum talis operatio est, quæ versatur circa objectum, et ipsum intelligentem inclinatur, et ordinatur intellectum ad rem intellectam.

XLI. Et in hac secunda consideratione non importat intelligere habitudinem originis, sed informationis, et unionis ad rem intellectam in esse objectivo, quod in nobis fit per veram informationem, quia distinguitur res intellecta ab intellectu. In Deo autem importat omnimodam identitatem etiam objective, quia ibi non distinguitur res intellecta, et intellectus, et ex hoc inferrebat evidenter D. Thomas differentiam inter dicere, et intelligere, quod erat intentum illius solutionis ad tertium, nam dicere secundum habitudinem specialem ad Verbum importat rationem originis, et non informationis, quia Verbum originatur, et procedit a dicente in quantum tale est: at vero intelligere secundum specialem habitudinem ad rem intellectam non importat rationem originis, quia res intellecta non procedit ab intelligente.

XLII. Ex hoc autem non inferitur quod intelligere non dicat rationem operationis respectu intelligentis, ut principium vitale est, quæ quidem operatio si sit distincta ab operante non solum informando, sed etiam procedendo, dicitur operatio, et actus causæ efficientis, et operantis. Si autem non distinguitur ab operante, ut in Deo, neque informans est, neque procedens, sed habet omnimodam identitatem, et ita instantia, quæ adducitur de intelligere divino, non est ad rem, quia intelligere divinum non comparatur ad naturam divinam ut operatio distincta ab operante, sed ut identificata, et consequenter non procedit, neque informat intelligentem. In

intellectu autem creato, quia est operatio distincta ab operante, et procedit, et informat; unde si operatio divina communicaretur intellectui creato ut distincta, et non ut identificata, deberet communicari ut procedens.

XLIII. Ad secundam vero instantiam de separatione intellectionis ab intellectu Petri, et de conjunctione ejus ad alium intellectum, admissa casu, et disputando de illo, respondetur, quod tunc non denominaret intelligentem, a quo non procedit, vel informaret illum, quia non informaret quasi vitaliter, sed quasi naturaliter, et entitative. Informare enim vitaliter non est præcise inhærere ut actus procedens, et supposita processione, ut a principio vitæ conjuncto.

XLIV. Sunt autem aliquæ formæ, quæ non denominantur per nudam, et præcisam inhærentiam, sed supposita etiam alia conditione processionis, seu egressionis ab alio, eo quod non comparantur ad subjectum, ut pure ad causam materiale, sed etiam ut ad causam vitalem, quæ est causa se movens, et efficiens. Si Deus ponat tales formas in alio subjecto, erunt quidem ibi entitative, et tamquam in recipiente in genere causæ materialis, non tamen erunt in eo tamquam in efficiente, et operante, aut vivente, et ideo non denominabunt illum effective operans, aut vivens, sed solum entitative sustentans vitam. Intellectus autem in tali casu dicitur sustentans intellectionem, sed non intelligens; sicut gratia posita in lapide, aut in bruto non denominabit illum gratum, sed sustentans formam, seu qualitatem gratiæ.

XLV. Ad impugnationem tertiæ implicationis bene ibi responsum est. Ad primam impugnationem respondetur, intelligere secundum se esse actum ultimum per modum

operationis, non vero secundum se importare, quod sit actus ultimus per modum existentiae, tamquam actuans in essendo, et ideo D. Thomas 1 p. quæst. LIV, art. 1, loquens de operatione, quæ est intelligere, dicit: « Quod operatio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiae. » In Deo autem licet sit idem intelligere, et esse propter eminentiam actus puri, tamen in præsentia non agimus de communicatione in ratione existentiae, sed in ratione operationis. Licet autem uterque actus ultimus, est tamen differentia, quod operatio dicitur actus ultimus, quia est ultima forma, quam intendit agens ad constituendam virtutem operativam in actu agendi, quod est ultimum intentum ab operante.

XLVI. Existencia vero dicitur actus ultimus non quasi ultima forma constituens naturam, vel aliquid naturæ, sed quia est actus totius terminans productionem in facto esse, ad quod reliqua omnia ut partes ad totum ordinantur, unde non informat, sed determinat; neque unitur secundum comparationem partis ad totum, sed totius ad partes.

XLVII. Ut autem intelligamus differentiam inter formam informantem, et formam terminantem, oportet advertere insignem doctrinam S. Thomæ opusculo secundo, capite cxxi, ubi explicans unionem incarnationis inquit: « Quod divinitas non advenit animæ, et corpori per modum formæ, aut partis, hoc enim est contra rationem perfectionis, unde ex divinitate, et anima non constituitur una natura, sed ipsa divina natura in se integra, et pura existens, sibi naturam ex anima, et corpore constitutam assumpsit. » Idque explicat aliquali exemplo unionis subjecti, et accidentis; non enim

subjectum, et accidens sic uniuntur, ut ex eis constituatur aliquod tertium, cujus subjectum sit pars; sed subjectum est integrum quoddam, et ad ejus esse trahitur accidens, ut sit unum suppositum hominis, et albi.

XLVIII. Ex qua doctrina colligitur, quod quando aliqua forma comparatur ad aliquid, quasi totum ad partem, quatenus ad communicationem sui esse trahit alterum, non vero se habet ut forma constituens cum altero aliquid tertium, tunc talis forma dicitur uniri non informando, sed determinando; nec talis unio imperfectionem importat formæ, quia ex eo quod sic uniatur, non advenit aliqua perfectio, sed ipsa se habet ut pure perficiens, et trahens ad sui communicationem, et suum esse id quod sibi unitur. Quando autem aliqua forma quantumcumque ultima, et perfecta, non se habet quasi totum, vel actus totius, ad cujus communicationem alia trahuntur, sed ut informans cum altero ut cum illo aliquid tertium constituat, talis forma cum imperfectione unitur, et ut informans, non ut terminans.

XLIX. Elice ex his id quod verissimum est, videlicet, quod operatio non unitur operanti ut totum, vel actus totius ad cujus esse trahatur operans, quin potius operatio trahitur ad esse operantis, ut ex illo operante constituatur agens in ratione agentis, et ita se habet ad suum principium, ut accidens ad subjectum, ut albedo ad corpus, non ut totum ad partes; et ideo non est actus ultimus terminans, sed ultimus informans,

L. Ad secundam replicam respondetur, quod species intelligibilis, licet se habeat ut principium influens in operatione, non tamen informat intellectum per modum formæ entitativæ, constitutivæ alicujus

tertii, sed per modum formæ objectivæ, quæ se habet ut complementum, et determinatio proveniens ab objecto in intellectu, non per modum ipsius virtutis, qua intellectus, tamquam lumine, et activitate operatur. Est enim supponendum id quod tradi solet 1 parte, quæstione XII, articulo II, quod species licet sit entitas inhærens in esse entis, tamen in ratione intelligibilis non informat inhærendo, neque etiam se habet, ut extrinsecus assistens, et secundum illam assistentiam influens simul cum intellectu in actum visionis (ut existimavit pater Suarez) sed vere, proprie, et intrinsece species actuat intellectum etiam in ratione intelligibilis, quia determinat illum ad producendum intrinsece, et realiter cognitionem, quæ sit talis, vel talis speciei; specificatio autem sumitur ab objecto; ergo ab illo determinatur intellectus ut sit principium reale productivum illius determinatæ cognitionis. Talis autem determinatio non fit sine aliqua mutatione reali intellectus, et denominatione intrinseca, quia per talem immutationem constituitur in ratione intrinseca, et realis principii elicitive talis cognitionis determinatæ, et specificæ. Et quia illa cognitio, etiam in quantum specifica tali determinatæ specificatione ab objecto desumpta, debet illam elicitive, et vitaliter ab intellectu participare, oportet quod ex vi principii intrinseca vitalis habeatur talis determinatio ad eliciendum vitaliter non solum actum, sed etiam specificationem actus.

LI. Unde non sufficit, quod species per solam extrinsecam assistentiam influat in actu specificationem ejus, quia extrinseca assistentia non fundat vitalem influentiam, neque influit vitalem specificationem in actu: neque sufficit entitativa inhærentia, sed informatio speciei, quia

ista per se loquendo non pertinet ad actuationem ejus, quod est intelligibile et vitale, ut patet in speciebus quando sunt in aere aut in homine dormiente. Igitur præter entitativam inhærentiam, quæ per se non requiritur in specie intelligibili, ut talis est, invenitur alia actuat, et informatio in genere intelligibili, qualem etiam potest habere substantia respectu intellectus, ut patet in Angelo cognoscente se, ubi substantia Angeli in ratione objecti intelligibilis actuat intellectum. Et ista secunda actuat non repugnat Deo respectu intellectus creati, cujus rationem reddit S. Thomas in tertio contra gentiles, cap. LI, in hunc modum:

LII. « Manifestum, inquit, est, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum ut species intelligibilis, qua intelligit, quod non contingit de essentia alicujus alterius substantiæ separatæ; nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale; sequeretur enim, quod simul cum aliquo unita constitueret unam naturam, quod esse non potest cum essentia divina in se perfecta sit in sui natura. Species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsam ad intelligendum, quod perfectioni divinæ non repugnat. » Sic D. Thomas.

LIII. Ubi optime Ferrariensis circa finem illius capituli advertit, quod specie intelligibili, et intellectu non constituitur aliqua natura ab utroque distincta, sicut ex forma substantiali, et materia constituitur compositum ab utroque aliquo modo distinctum, sed constituitur aliquid unum quatenus species intelligibilis, et intellectus uniuntur ad unam operationem, quod unum vocamus intellectum in actu. Quare tota ratio unde desumenda est differentia inter actuationem speciei in esse intel-